



D. Gerhanli Titij Dogmatica.

56.

Programma

QVO

SACRO SANCTÆ THEOLOGIÆ
STVDIOSI IN ILLVSTRI ACA-
DEMIA IVLIA

Ad auscultationem

EPISTOLAE PAV-
LINÆ AD ROMANOS

invitantur

P. P.



HELMESTADII,
Typis HENNINGI MULLERI

CID DC L.

PROGYNIA

OTO

STUDIO SANCTE THEOLOGICAE

STUDIOSI IN LITVIA ACA

DEMDA LVIA

Ad aucthoritatem

EPISTOLAE PAV

LINAE AD ROMANOS

INVENTUM

P. P.



HELMSTADIA

Typis Henningi Mollerii

MDCCCLXX



Summæ & sanctissimæ disciplina-
rum, SS. Theologiæ Studiosis,

S. P. D.

M. GERHARDVS TITIVS

Prof. P. Ordin.



Inter omnes D. Pauli, gentium Doctoris divinis-
simas Epistolas, eminent, & splendore suo radiat
illa, quam ad Romanos perscripsit, velut *micat*
inter ignes luna minores. Non quod reliquæ, mi-
nus luculenta, spiritus qui in eo loquebatur
impresia habeant vestigia, sed quod ubertate &
majestate doctrinæ nostræ hæc cæteras post se
relinquat, adeoq; summam fidei, & capita religionis, & funda-
menta salutis nostræ nobis ob oculos ponat. Cum primis autem
prioribus quatuor capitibus cælestem de justificatione hominis
peccatoris coram Deo, doctrinam luculentissimè & ita pertra-
ctat, ut nullibi disertius exponatur. Quæ doctrina cum fun-
dus sit totius nostræ salutis, summam ejus, Domini Studiosi,
hic ob oculos ponere nihil impedit, imò nisi fallor, ex usu ve-
stro erit, & vos deinceps capita illa, ubi ad eorum lectionem ac-
cesseritis, & majore cum fructu legetis & facilius intelligetis.
Verbum *Iustificare* itaque S. Paulus accipit usu forensi, & prout
idem est ac justum deputare, justum pronunciare, à peccati rea-
tu absolvere. Vnde & tales phrasæ ei locat *ἐκ παραδόχης*, *re-*
mittere peccata, imputare iustitiam, fidem imputare ad iustitiam,
tegere peccata, non imputare peccatum. Ut vel hinc manifestum
sit, justificationem non fieri formaliter per infusionem iustitiæ,
nec in eâ peccata planè extirpari, aut ex animâ ut sic dicam

A 2

eradi

eradi, ut Pontificij pertendunt. Quæ enim non imputantur, quæ teguntur, non statim extinguuntur, & licet à vindice Dei oculo subtrahantur, non tamen ideò desinunt esse. Equidem dubium non est, remissionem sive condonationem peccatorum comitem trahere iustitiam infusam sive inhærentem, conjunctam cum expulsionem peccati quoad dominatum malitiæ. Illa tamen & infusio & expulsio, non pertinet ad naturam remissionis & justificationis, sed mortificationis & vivificationis seu renovationis, quæ *interior noster homo renovatur de die in diem*. Manet itaque, justificationem juxta phrasin Apostolicam importare absolutionem à reatu peccati, gratuitam condonationem & ignoscentiam, qui actus simultaneus est & indivisus, cum infusio iustitiæ & inhærentium Charismatum successiva sit & magis ac minus recipiat. Iustificat autem D.O.M. pro divite & ineffabili suâ misericordiâ hominem hæctenus impium, sed qui gratiâ divinâ terribili legis tonitru conjunctâ, è veterno excitatus, ab impietate liberari desiderat, gratis, suâ

2. Cor. 4, 16. gratiâ per redemptionem quæ facta est per Iesum Christum. Vbi per gratiam Apostolus non intelligit infusam animo qualitatem, ad modum luminis aeri tenebroso à sole infusi, quæ Bellarmini est comparatio; sed *Φιλανθρωπία*, misericordiam & favorem. Unde legi, ejusq; operibus illam opponit, & infusam gratiâ favoris quem diximus effectum esse docet, *gratia Dei* inquit, & *donum per gratiam, quæ est unius hominis Iesu Christi, in multos redundavit.* Quod autem dicit Apostolus Deum iustificare gratis, suâ gratiâ, cave *ταυτολογία* interpreteris, quam nobis, *gratie* vocem pro gratuito favore acceptantibus indignè impropere Pontificij. Ideò enim dicitur *suâ gratiâ*, nos iustificare & quidem *gratis*, ut ostendatur nihil in nobis fuisse quod favorem Dei provocare potuerit, quomodo alibi, *gratiâ* inquit, *salvati estis & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus.* Aliàs notum est, haut rarò contingere, ut gratiâ prosequamur aliquem qui ob insignem aliquam præstantiam meretur amari. Cæterum difertè Paulus, *mortales omnes, inquit, peccaverunt ac destituuntur gloriâ Dei, nec est iustus, ne unus quidem; omnes deflexerunt, simul inutiles;*

Rom. 3, 24.

Cap. 5, 15.

Eph. 2, 8, 9.

Rom. 3, 23.
^{10.}
^{12.}

inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est, usque ad
unum. Nihilominus exigit rigor divinæ justitiæ, ut pro pecca-
tis, priusquam remittantur, plenè sit satisfactum, & si ad ca-
pessenda regni cœlestis gaudia peccator admitti debeat, id
ipsum fiat virtute alicujus meriti, & quidem perfectissimi.
Quale cum à parte hominum nullum detur, aliunde imputari
necessum est. Capite itaque quarto, totus in eo est Apostolus,
ut ostendat, fidem in eum, qui iustificat impium, quam cap. præ-
cedente appellaverat fidem in sanguinem Christi, imputari ad
justitiam. Item; omnibus credentibus in preputio, quorum Abraham
pater sit, iustitiam imputari. Ecquænam verò est justitia quæ no-
bis imputetur alia, quàm ejus, qui factus est nobis sapientia, iusti-
tia, sanctificatio & redemptio? Certè Apostolus ipse alibi cupit
inveniri in Christo, non habens suam iustitiam quæ est ex lege, sed eam
quæ est per fidem Christi, eam quæ ex Deo iustitia est in fide. Neque
unius assis est objectiuncula, quod alienâ justitiâ haut magis
aliquis sit justus, ac eruditione Virgilij eruditus sit Bavius ali-
quis aut Mevius. Concedimus enim alienâ justitiâ neminem
intrinsicè & sic esse justum, ut ejus beneficio ipse actiones justas
eliciat; at verò nihil obstat alienâ justitiâ sibi imputatâ quæpiâ
aliquod bonum impetrare posse, quomodo debitor solutione
alienâ, nempe sponsoris sui, impetrat dimissionem. Hanc
itaque imputatam Christi justitiam licet Pontificij fer-
vore disputationum abrepti, putativam & imaginariam,
hodie nonnunquam crimentur, velint nolint tamen, ipsi
admittere coguntur. Ipse princeps scholasticorum Thomas
jamdudum fassus est, quod omni baptizato communicetur passio
Christi, ad remedium, ac si ipse passus ac mortuus esset, --- & ideo ille
qui baptizatur, liberetur à reatu omnis pœnæ debite sibi pro peccatis,
ac si ipse sufficienter satisfacisset pro omnibus peccatis. Hæc Doctor ille
Angelicus. Imitata est synodus Tridentina, quæ sessione sexta
docet, neminem posse esse iustum, nisi cui merita passionis Domini no-
stri Iesu Christi communicentur. Quid verò est meritum Christi
alicui communicari aliud, quàm imputari? Tanta vis est veri-
tatis, ut suffragium vel invitis exprimat. Cæterum unus &

A 3.

idem

v 56

v. 25.

Cap. 4. II.

1. Cor. 1 ult.

Philip. 3. 9.

De effect.

baptismi

quæst. 69.

22

17

Cap. 6.

22

22



idem numero actus est quo peccata teguntur seu remittuntur,
 & imputatur justitia Christi, quomodo aliàs quoque tegendo
 nuditatem induitur vestis, & induendo vestem, tegitur nuditas.
 Fides autem à parte nostrâ, est manus illaprehendens oblatam
 in verbo & promissionibus divinis honoratam illam justitiæ
 Christi vestem, quâ sola coram Dei tribunali tuto comparere
 possumus. Hinc scripturæ illa phrasis, *induere Christum*.
 Esse verò fidem unicum à parte nostra medium, quo posito
 proximè & immediatè impetremus remissionem peccato-
 rum & imputationem justitiæ Christi, adeò fortiter ad-
 struit Apostolus, ut non possit magis. Credenti, inquit,
 non operanti imputatur fides ad justitiam. Et rursus;
Colligimus fide iustificari hominem absque operibus. Hæc inquam
 duo fidem & opera semper opponit, & vim justificandi illis de-
 tractam huic uni vindicat, ne renatorum quidem operibus in-
 societatem hujus impetrationis venire passis. Sic enim de A-
 brahamo patre credentium jam dum in statu gratiæ & viâ du-
 cente ad vitam æternam posito pronunciat, *si Abraham ex ope-
 ribus iustificatus fuit, habet quod gloriatur, at non apud Deum*.
*Quid enim scriptura dicit? credidit Abraham Deo, & imputa-
 tum est ei pro iustitiâ*. Totum hoc verò inculcat Apostolus, ut ex-
 uberantem Dei gratiam nobis ob oculos ponat. Vnde ipse
 etiam, *propterea ex fide* inquit, *est hæreditas, ut sit per gratiam*.
 Scilicet fides à parte nostra non spectatur ut actus vel opus ali-
 quod, nec ratione in hærentiæ & dignitatis, aut ratione gradu-
 um & roboris sui, cum carnis nostræ trepidationes, sæpe nimi-
 um quantum, proh dolor! eam reddant imbecillem, sed tan-
 tum correlativè & ratione objecti, sanguinis scilicet Iesu Chri-
 sti, quem tanquam bonum nostrum in cuius virtute evasuri
 sumus æternam damnationem, & consecuturi innocentiam præ-
 mium vitam æternam, apprehendit. Consequimur vitam æ-
 ternam, inquit Excellentissimus Dn. D. Calixtus, præceptor noster
 parentis loco imâ animi demissione æternum honorandus,
*interventu quidem fidei, non tamen fidei sub câ ratione, quâ virtus
 est magis vel minus perfecta, sed potius sub illâ, quâ promissiones di-*
vivas

Libr. de
 Bono sume
 mo pag. 30.

vinas apprehendit, & merito Christi inimitur. Neque verò initium tantum reconciliationis nostræ cum Deo, sed continuatio quoque fidei perseveranti accepto ferenda. *Fide enim stamus, & custodimur ad æternam salutem.* Porro gratuita per fidem justificationis duo confectaria proponit Apostolus, in quorum uno consistit ipsum summum quod homini in hac vitâ obtingere potest bonum. *Iustificati inquit ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum* restincta scilicet flammâ iræ divinæ precioso sanguine Christi. Alterum ab hoc, est crucifixio veteris hominis & fuga proæreticorum delictorum, de quâ agit toto capite sexto. *Cum enim dicit Apostolus, arbitrari se, iustificari hominem per fidem, sine operibus legis, non hoc agit, ut perceptâ ac professâ fide opera iustitiæ contemnantur, sed ut sciat quisq; se per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint.* Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum, verba sunt magni Hipponensium præsulis libro de fide & bonis operibus. Vnde & nos Protestantes, vestigia S. Pauli & Augustini secuti, docemus & profitemur, opera bona veræ fidei, ceu nobiles fructus generosæ arbori, licet non quoad justificationis efficientiam, quam isthæc solâ præstat, tamen quoad præsentiam perpetuò cohærere, quin & hoc addimus, sine bonis operibus fidem esse imaginariam & neminem posse videre Deum. Quod autem Pontificii nihilominus infrunitâ audaciâ nos traducunt tanquam opericidas, quod Leonh. Lessii scomma est, quasi in consilio doceamus posse aliquem salvari, omni licet pietate vitæ insuper habitâ, nuda & solitariâ fide, *hic nigra succus loliginis, hæc est arugo mera.* Atque ita sana de justificatione ejusque confectarijs doctrina ad mentem Apostoli breviter explicata esto. Nunc reliquorum quoque capitum epistolæ Paulinæ summam attexere pergamus. Quinto itaque capite, occasione comparationis meriti Adami cum merito Christi, tractatur doctrina de peccato Originali ex professo & tanquam in propria sede. Sequente capite novitatem vitæ argumentis penetrantissimis inculcat, de quâ per tria capita usque ad nonum continuato orationis filo, rursus per occasionem agit de concupiscen-

Rom. 5.

1. Petr. 2.

Rom. 5, 24.

Cap. 14.

p. 18.

Cap. V.

c. VI.

VII.


VIII.



piscentiâ & reliquiis peccati, quibuscum & renatis conflictan-
dum est, idque capite septimo; addit tamen sub initium octavi,
tales rebelles carnis motus, si frenum ijs auxilio Spiritus San-
cti iniiciatur ne regnent, actu nullam condemnationem in-
ducere. Inde de testimonio Spiritus conscientijs nostris red-
dito, quo adspirante in adversis sustentemur, multa solatij
plenissima percenset. Nono capite cum in mentionem reje-
ctionis; Iudæorum incidisset, ostendit Deum in electione nul-
larum externarum prærogativarum rationem habere, quin ne
operum quidem, sed electionem penitus & in totum gratui-
tam esse. Itaq; in illo, ut & in duobus sequentibus capitibus,
multa de prædestinatione immiscet. Capitibus posterioribus,
XII, XIII, XIV, & XV. parænetica omnis generis pertra-
ctat, hortatur ad cultum Deo gratum, & dilectionem mini-
mè simulatam etiam inimicorum, ad obædientiam, denique
supremis magistratibus eorumque ministris præstandam.
Præcipuè verò cap. XIV & XV. docet & ostendit, quomodo in-
firmiores in fide à firmioribus tractandi sint, ne scandalum
patiantur, sed magis confirmentur. Vbi quo usque Christiana
libertas sese porrigat, insigniter exponit. Ultimo capite
Phœben commendat, salutem pluribus adscribit, & turbones
ac dissidiorum autores caveri mandat, & tandem laude Deo
per Christum dictâ, epistolæ colophonem imponit. Hæc est
summa divinissimi hujus scripti. A cujus explicatione ex de-
creto admodû Reverendæ facultatis Theologicæ prælectionum
publicarum initium facere decrevi. Ita autem in explicatione
ejus versabor, ut perspicuo discursu sensum literalem per capita
& versiculos evolvam, deinde quotiescunque illustrior aliquis
locus fidei nostræ aliquod caput concernens sese obtulerit,
paululum digressurus, & fidei illud caput simul breviter
enarraturus sim. Initium faciam hâc septimanâ die Iovis in
majori Iuléo horâ III. pomerid. Valete Auditores Optimi,
& frequentiam vestrâ diligentiam meam excitate.

In Acad. Iuliâ P.P. XXIV. Febr.

clō Ioc L.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs across the page.



99 A 6986

ULB Halle 3
002 826 542



R


Sh

VJ 17

Rehov







B.I.G.

Farbkarte #13



amma
 O
 Æ THEOLOGIE
 LVSTRI ACA-
 IVLIA
 tationem
 AE PAV^{II}
 ROMANOS
 ntur
 P.
 T ADII,
 GI MVLLERI
 C L.

